

τῆ χῆα.

TERRA CHIA.

CAP. CXXXI.

CHia eligi debet candida, vergens ad cinereum, Samiæ similis. Est autem crustosa, & albaque, sed ficti-
tis formis differens. Vis eadem, quæ & Samiæ: extendit faciem, & erugat, atque splendidam reddit:
colorem in facie, & corpore toto commendat: in balneis pro nitro deterget.

† Orib. 8.
ἀσπὶς. ἰ.
τενυλῆς.

Terram Chiam notis omnibus legitimam, misit ad me superiori anno Alphonsus Pantius medicus Ferrariensis.

τῆ σελίνουσιας.

TERRA SELINUSIA.

CAP. CXXXII.

EAdem præstat Selinusia; maximè laudatur, quæ vehementer resplendet, candida, friabilis, & hu-
more dilui celerrima.

Hanc à me antea non visam, albam, splendens, atq; friabilem, misit ad me idem Alphonsus Pantius.

τῆ κίμωλιας.

TERRA CIMOLIA.

CAP. CXXXIII.

Cimoliæ duo genera, candida, & ad purpureum inclinans. Optima existimatur, quæ innatam habet
pinguitudinem, tactuq; frigida sentitur. Utraque aceto diluta, parotidas, & alia tubercula discutit.
Ambusta igni, si statim cimolia oblinantur, pustulas non sentient: testium duritias, & totius corporis
collectiones cohibet: igni sacro imponitur. In summa, utraq; multum in medicina commendatur, si in-
corruptæ originis, nec spuria assumatur.

τῆ πνίγτις.

TERRA PNIGITIS.

CAP. CXXXIV.

Quæ pnigitis dicitur, colore fere eretriæ similis est, grandioribus tantum glebis: manum si quis ad-
moveat, refrigerabit: tactu linguæ usque adeo glutinosa, ut pensilis hæreat. Cui effectus idem, qui
cimoliæ, paulò tamen infirmior. Hanc aliqui pro eretriæ vendunt.

ὁ σφραγὶς τῶν πνίγτις.

TESTÆ FORNACEÆ.

CAP. CXXXV.

Fornaceæ testæ vehementer tostæ, crustas ulceribus obducunt: quare prurigini, & papularum eru-
ptionibus medentur. Podagricis profunt: strumas discutiunt, cerato exemptæ.

τῆ ἐν τῶν πυρῶν.

TERRA FORNACUM.

CAP. CXXXVI.

Fornacum terra, quæ retorrda fulvescit, ejusdem cum testa effectus.

τῆ μελίας.

TERRA MELIA.

CAP. CXXXVII.

Melia colore cineream eritream imitatur, aspera tactu: ea digitis friata, derafi pumicis modo crepi-
tat. Vim habet aluminosam, sed remissiusculam, id quod gustu deprehenditur: modicè linguam
siccat: purum corpus reddit, & colorem commendat: pilos extenuat: vitilignes, & lepras abstergit. Pi-
ctoribus usum præbet, ut colores diutius perennent. Emplastris viridibus, quæ chloræ dicuntur, effica-
citer inferitur. Ex omni melia terra, & omni alia in universum, eligi debet retens, mollis, non lapidosa,
friabilis, quæ cum humorem attigerit, facile resolvatur.

Quamvis terra Eretria, Chia, Selinusia, Cimolia, Pnigitis, & Melia antiquis notissima fuerint, & in usu medico fre-
quentissima, ut auctor est Galenus, non tamen ab his, qui nos præcesserunt, adeo neglectas fuisse constat, ut pauci ad-
modum sint hac ætate, qui eas agnoscant. Ego autem & Pnigitem, & Eretriam sum consecutus, Alphonsi Pantij medici
Ferrariensis, liberalitate. Verum cum terras has non habeant in Myropoliis, opera pretium non duxi, ut in singulis mo-
ram traheremus, ac de earum historia & viribus latius differeremus. Quæ terra γῆ χῆα, σελίνουσια, κίμωλια, πνίγτις, μελία Nomina.
Græci, Latinis, terra Chia, Selinusia, Cimolia, Pnigitis, Melia: Italici, terra Chia, Selinusia, Cimolia, Pnigite, Melia vo-
cantur: Arabibus vero terra Cimolia, Teri chimolea, seu Thin chimulia: Pnigitis, Terri hanem.

τῆ ἀμπελίτις.

TERRA AMPELITIS.

CAP. CXXXVIII.

EX ampelidide terra, quæ pharmacitis nomine in Seleucia Syriæ nascitur, laudatur in primis nigra,
piceæ longos carbonēs referens, modicè assulosa, æquabili splendore, quæ detrita, accepto oleo, ita-
tim eliquefcit. Vitiosa censetur candida, & cinerea, quæ in liquorem non resolvitur. Vim dissipandi, &
refrigerandi habet: ad calliblephara additur, tingendis capillis idonea. Ufus ejus ad illinendas vites, sub
germinationis tempus, utpote cum innascentes vermiculos enecet.

Ampelitis, ut auctor est Galenus libro nono simplicium medicamentorum, hoc sibi nomen jure vindicavit, quod anti-
quus infrequenti haberetur usu, ad præservandas ab eruci vitium gemmas prima earum germinatione, quemadmo-
dum nos visco circumlito nostras tuemur in Hetruria. Pharmacitis vero dicitur, quod medicamentosa maximè sit. Siqui-
dem non modo vermiculos ad vites ascendere inhibet sed etiam eos interficit. Hæc usq; adeo bitumine referta est, ut Pli-
nius, & Posidonius, bitumini similem ipsam fecerint. Cujus experimentum est, si facile in oleo imposita, liquefcit.
Quamobrem credidere nonnulli Ampelitim terram crustosum illum fuisse lapidem, quem scribit Galenus se invenisse
in Lycia

Ampeli-
tidis ter-
re confi-
deratio.

in Lycia litoribus, & in caele Syria, qui in ignem coniectus leuiusculam edebat flammam. Hoc argumento nixi, quod idem scripserit se reperisse lapidem illum in quodam colle omni ferè ex parte circumdato ab Asphaltite lacu, quem Sodon cum vocant, ex quo bitumen in ipsum labitur lacum. Quapropter non desunt, qui dicant, Galenum haudquaquam novisse, eos lapides nil aliud, quàm terram ampelitidem: quæ cum piceum referat carbonem, ut Dioscorides ipse testatur, non mirum, si potius lapidis quàm terræ speciem præ se ferat. Non ab re itaq; credendum fuerit, Ampelitim terram non admodum à Gagare lapide differre, quippe quod utraq; ex terra & bitumine suam traxerint originem. Ampelitis nuperrimè è Carniola, ubi foditur, ad me allata est, nullis reclamantibus notis. Hac quæ γῆ ἀμπελιτῆς Græcis, Latinis Terra Ampelitis Nomina, appellatur: Arabibus, Thib Alcharin: Italis, Terra Ampelite.

Ἀσβέλῃ ζογχαφινῇ.

FULIGO PICTORIA.

CAP. CXXXIX.

10

Fuligo, qua pictores utuntur, ex vitrariis officinis colligi solet: siquidem ei palma tribuitur. Vis ei ad adstringendum, & erodendum efficax: fracta, cum rosaceo cerato ad cicatricem perducit.

Μέλαν γραφικόν.

ATRAMENTUM LIBRARIUM.

CAP. CXL.

Atramentum quo scribimus, fuligine è redis coacta colligitur. In singulas libras gummi, ternæ fuliginis uncia adijciuntur. Fit etiam è resinarum, & pictoria fuligine, de qua paulò ante diximus. Assumitur autem fuliginis mina, gummi sesquilibra, glutinis taurini, atramenti sutorii, singulorum sesuncia. Additur convenienter erodentibus medicamentis: ambustis, ex aqua commodè crassius illinitur, sed non antè solvatur, quàm cicatricem induxerit: sanatis siquidem ulceribus, sua sponte decedit. Cæterum habes, amicissime Aree, ferè, quæ tradenda duximus pro operis modo, quem destinaveramus, & materiæ, auxiliorumque medicinalium copia.

De fuligine pictoria, atq; etiam de Atramento librario latius & apertius à Dioscoride scriptum est, quàm ut de his plura nobis supersint dicenda, vel declaranda. Quare jam unà cum authore nostro, huic quinto libro finem imponamus, atq; insuper DEO, cui omnia, quæ à nobis fiunt, aut dicuntur, accepta ferre par est, immensas agamus gratias. Ea fuligo, quæ ἀσβέλῃ ζογχαφινῇ Græcè, Latinè Fuligo pictoria dicitur, quemadmodum Italis Fuligine de pittori. Quod verò μέλαν γραφικόν Græci, Latini Atramentum librarium, Italis Atramento librario, aut Inchiostro nominant.

30

LIBRI QVINTI FINIS.



PETRI